



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

De Caroli Magni Imperio Belgico. Cap. XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

ad Germanorum conuersionem Moguntinæ ciuitati primus episcopus est designatus. Mortuo autem beatissimo Willibrordo, Moguntinæ successorem constituit sanctum Lullum, & ipse Traiectensem archiepiscopatum secundus suscepit. Cumque annis sedecim per Frisiam prædicasset, apud *Dockum* anno septingentesimo quinquagesimo quinto, ab infidelibus oppressus est, & martyrio redimitus, cum socijs, quos plures quàm quinquaginta in fidei prædicatione cooperatores habuit. E quibus vndecim tantùm, velut celebriores suis nominibus in historia exprimentur, videlicet Eobanus episcopus: tres presbyteri, Wintrugius, Walterus, Adalherus: tres diaconi Stirbaldus, Hamuntius & Boso: quatuor monachi, Waccharus, Gunderharus, Willeherus & Adolphus.

De Caroli Magni Imperio Belgico.

C A P. XXI.

Sanctus Carolus magnus, Pipini filius, patri in Brabantia Ducatu & Francia regno succedit, anno septingentesimo sexagesimo octauo, compartito regno cum fratre Carolomanno. Et Carolus quidem Nouiomi, regiam accepit coronam: Carolomannus verò in vrbe Sueffonica.

Anno autem octingentesimo primo Leo tertius populi Romani scito, cleri que rogatu, dictum Carolum Pipini filium, Francorum & Longobardorum regem, ob egregia in Christianum nomen & Romanam sedem merita, Romanum Imperatorem primus appellauit, inunctumque consecrauit. Obijt anno octingentesimo decimo quarto.

Claruerunt sub eo S. Rumoldus archiepiscopus &

pus & patronus Mechliniensium: qui martyrio est *Mechlinien-*
 coronatus anno septingentesimo septuagesimo *ses.*
 quinto. Sanctus Gregorius episcopus Traiecten-
 sis, insignis prædicator Frisonicæ gentis: cui anno
 septingentesimo octuagesimo quarto successit A-
 delbricus: Sanctus Ludgerus episcopus Monaste-
 riensis, qui Traiecti sub sancto Gregorio multum
 in scientia literarum & in morum probitate pro-
 fecit, & aliquot annis Dauentriæ, & per Frisiam
 laborauit in fidei prædicatione & corroboratio-
 ne. Sanctus Saluius, episcopus Aquitanix, qui
 cum discipulo suo, à filio procuratoris fisci Va-
 lencenensis est martyrizatus: quorum corpora
 post triennium Carolus magnus diuina admoni-
 tione repetit. Apud Thenas, beatus Himelinus,
 cognatus S. Rumoldi. In palatio Caroli, S. Ar-
 noldus, ipsius cytharædus.

De sanctis in Belgio tempore Ludouici Imp.

C A P V T X X I I

Ludouicus rex & Imperator, Caroli magni
 filius, post patris obitum imperat annis vigin-
 ti sex: Moritur anno octingentesimo quadragesimo.

Claret Traiecti S. Fredericus episcopus &
 martyr, qui in Walachria multum laborauit con-
 tra illicita connubia, & in Frisia contra Arianam
 perfidiam. Anno trigesimo octauo occisus est ad
 sanctum Saluatorem, ante summum altare, post
 Missæ celebrationem; quia Ludouici Imperatoris
 & Iudithæ consanguineæ eius nuptias, vt ince-
 stas damnabat. Contraxerant enim sine Romani
 Pontificis licentia. Claruit cum eo in eadem ec-
 clesia S. Odolphus Canonicus, qui aliquot
 annis in Frisia, potissimum Stauriæ, *sue Staueræ*
 labora-